UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Schola Canonica Seu Universum Jus Canonicum Nova Methodo Digestum

Continens Librum Tertium Decretalium. Librum Quartum Decretalium. Librum Quintum Decretalium.

**Sannig, Bernhard**

**Nürnberg, Anno MDCXCII.**

Tit. XIII. De Rebus Ecclesiæ alienandi, vel non.

urn:nbn:de:hbz:466:1-98793

Visual Library

8. Nota octavò: Pensionis reservatio fieri potest tum ante collationem beneficii; tum post collationem, si tamen accedat consensus beneficiati; uti advertit Laym. & Azorius. Pensio autem ipsa imposita alicui beneficio debet esse moderata, ita ut remaneat beneficiato, præsertim Ecclesiæ Rectori commoda sustentatio; item hic officium misericordiæ erga pauperes, & hospitalitatis erga peregrinos exercere valeat; item solvere Jura Episcopalia, & alia onera incumbentia præstare juxta *cap. de Monachis 12. de Præbend.*

# TITULUS XIII.

## De Rebus Ecclesiæ alienandis vel non.

### CAP. I.

### *Quarum rerum Ecclesiasticarum alienatio sit prohibita.*

1. NOta primò: postquam D. Papa Gregorius IX. digessit *titulos superiores* de præbendarum Ecclesiasticarum collatione, modis easdem instituendi, & gestis ab Episcopo cum, vel sine consensu Capituli; consequenter *hoc. tit.* tradit doctrinam generalem circa alienationem rerum, & bonorum ad easdem præbendas Ecclesiasticas pertinentium, ostenditque quid Juris habeant Clerici, & non habeant, circa ipsas alienandas.

2. Nota secundò: nomen *alienationis* duplicem habet usurpationem; strictam scilicet & latam. *Alienatio strictè sumpta* importat propriè talem actum,, quò transfertur alicujus rei traditæ dominium directum in alterum; cujusmodi sunt venditio, donatio, permutatio &c, uti patet ex *L. 1. C. de fund. dotal. Alienatio latè sumpta* importat omnem actum, quò non tantum dominium rectum; sed etiam utile transfertur; quare complectitur donationem, venditionem, permutationẽ, emphytheusim, infendationem usumfructũ, hypotheçam, & locationem ad longum temp', *cap. nulli 5. §. alienationis hoc tit.* Et *L. ult. C. de reb. alien. non alien.* item hæredis institutionem, legatum, fidei commissum *cap. 1.* & *cap. cum in officiis; cum duob. seq. de transact.* item transactionem quando res per eam traditur; secus quando per eam res tenetur; uti notat Rebuff. imò & secundùm *Extravag. ambitiosa, hoc tit. in commun.* locationem ultra triennium, quando scilicet res quotannis dat fructum; aliàs si res alternis duntaxat annis fructum ferat, potest locari ad sexennium; ut notat Vall.

3. Nota tertiò: nomine *Ecclesiæ* hic venire omnem locum pium, authoritate Episcopi constitutum. Nam constitutio Leonis Imper. in *L. jubemus C. de SS. Ecclesiis, de non alienand.* &c. postea extensa fuit ad omnem locum pium in *Auth. hoc jus porrectum C. eod.*

4. Dico primò: alienatio rerum Ecclesiasticarum quarumcunque regulariter prohibita est quibusvis Clericis, non tantùm simplicibus; sed etiam Prælatis, Episcopis, & Archi-Episcopis; & à fortiori Laicis. Ita Hostiens. Vallens. Glossa, Abbas &c. Et constat de Clericis ex *cap. ex Clement. & Extravag. toto hoc tit. in 6.* Et *cap. si quis Presbyterorum 6. cap. ad audientiam 9.* & *cap. nulli 5. hoc tit.* De Laicis verò, scilicet Regibus, & Principibus in quorum territoriis extant res Ecclesiasticæ, patet ex *cap. 2. hoc tit.* Et procedit hæc prohibitio ita, ut non tantum in extraneum; sed nec etiam in personam Ecclesiasticam, vel aliam Ecclesiam dictæ res per alienationem transferri possint, *cap 1. hoc tit.* Imò nec ipsemet Clericus, etiam Episcopus eas sibi usurpare potest, *can. si privatum.* Et *can. monemus caus. 13 q. 2.* Sed easdem custodire tenetur, ac cum periculo vitæ defendere, *cit. can. privatum.* Et *cit. can. monemus.* Ut autem clarius pateat hujus alienationis generaliter prohibitæ vis & effectus, ad speciem singularium rerum Ecclesiasticarum alienari prohibitarum descendo. Unde

5. Dico secundò: imprimis prohibita est alienatio rerum omnium immobilium

bilium Ecclesiarum, ut prædiorum, fundorum, agrorum, rusticorum, mancipiorum (id est colonorum adscriptitiorum, seu colentium agros) & similium; ita ut nec quidem titulô specialis hypothecæ obligari possint. Ita Engel. Abbas Redoan. & communis DD. Et constat ex *cap. nulli 5. hoc tit.* Et procedit de quacunque alienatione, sive ea fiat per conditionem (id est concessionem sub conditione) sive per donationem, sive per venditionem, sive per permutationem, sive per emphyteusim perpetuam; ut habetur *cit. cap. nulli.*

6. Nota quartò: rebus immobilibus Ecclesiasticis non alienandis mox recensitis rectè etiam annumerantur Jura incorporalia, ut quæ ad Jurisdictionem pertinent; ut notat Engel, & Vallens. item actiones, lites & nomina debitorum; uti observat Abbas: item servitutes prædiorum, Jura piscandi, venandi, & similia, *cap. 2. hoc tit. in 6.* item census annui; si ex fundatione, vel aliunde in perpetuum sint constituti pro sustentatione ministrorum Ecclesiæ, *Clement. 1. §. cumque annui redditus; de verb. signif.* item unio perpetua unius Ecclesiæ cum altera; vel unius beneficii cum alio beneficio, *cap. tua 8. de his, que fiunt à Prælat.* &c. quæ & similia regulariter à nullo Clerico, etiam Episcopo possunt alienari. Et Ratio horum omnium est; quia alienatio cederet in detrimentum eorum: Item eisdem annumerantur arbores grandes non cæduæ, ut habet Vallensis: item bona ad mensam Episcopalem vel Capituli pertinentia; ut habetur *cap. ut super 8. hoc tit.*

7. Dico tertiò: præterea prohibita quoque est alienatio omnium rerum mobilium pretiosarum, pertinentium sive ad Ecclesias regulares; sive ad sæculares, & quæ servando servari possunt. Ita Pirh. Abbas &c. Et habetur in *Extravag. ambitiosæ, de rebus Eccles. non alienan. inter comm.* Hujusmodi pretiosa censentur esse, vasa aurea, & argentea, gemmæ, & vestes pretiosæ quæ asservari possunt; uti constat ex *Extravag. unic. inter communes, hoc tit.*

8. Dico quartò: prohibita pariter est alienatio rerum mobilium non pretiosarum, ex quibus utilitas, & fructus diuturn' percipi potest; Ita Molin. Pirh. Ratio est; quia hujusmodi alienatio esset valde damnosa Ecclesiæ. Hujusmodi porro res mobiles afferentes utilitatẽ, & diuturnum fructum censentur esse greges caprarũ, & ovium; ex quibus quamvis permittatur vendere seorsim singulas oves, vel capras gregis alicujus; non tamen conceditur alienare totum gregem, ex quo Ecclesia annuos redditus percipere solebat, ob continuam multiplicationem fructuum; ut notat Molin. Item hujusmodi res mobiles utiles censentur esse omnia jumenta boum, & equorum quibus fundi fulcantur, & coluntur, quæ alienari nequeunt; nisi superflua essent, *L. ult. C. quando decreto opus non est.* Item arbores fructiferæ, vel aliàs valde utiles, & necessariæ prædiis Ecclesiasticis; ut notat Navarr. Item Sylvæ cæduæ totaliter exscindi non possunt, ob sui utilitatem; ut habet Panorm. Navarr. &c.

## CAP. II.

### *Quærum rerum Ecclesiasticarum alienatio possit fieri; & quomodo.*

1. DIco primò: res mobiles non pretiosæ Ecclesiæ, quæ servando servari non possunt sinè detrimento, licitè possunt à Prælatis Ecclesiasticis etiam sinè ulla solemnitate Juris alienari. Ita Hostiensis, Abbas, Vallens. Piasec. Engel &c. Et Ratio est; quia Tutores & Curatores, quorum tamen potestas longè magis est restricta, quàm Prælatorum, sine solemnitate Juris possunt alienare res mobiles illas, quæ servando servari nequeunt absq; detrimento; uti habetur *L. lex quæ 22.* Et *L. Tutores C. de adminis. Tutor.* Ergo etiam Prælati easdem sic alienare possunt. Et quia Jura nullibi prohibent similium rerum Ecclesiæ alienationem.

2. Nota autem primò: per præfatas res mobiles rectè intelligi sequentes: *Primò* ea omnia, quæ usa absumuntur; vel quæ brevi tempore durarent, uti sunt fructus arborum, oleum vinum, frumentum, animalia, &

pecorà singularia, ac vestes pleræq; ut notat Vall. Piasec. & Engel. Item pecunia quotidiano usui inserviens, quæ servata nihil fructificaret; ut habet Panorm. & Hostiens.

3. Dico secundò: similiter aliquæ res immobiles Ecclesiæ, & mobiles pretiosæ à Prælato alienari possunt ob justam causam, absque forma ac solemnitate Juris, seu à Jure præscripta. Ita communis DD. Et constat ex *cap. ut supra 8. hoc tit.* Et pluribus aliis. Et veniendo ad speciem talium rerum.

4. Nota secundò: vineolas, & alios fundos, ac possessiones minus utiles Ecclesiæ & procul distantes, quæque sunt exigui valoris, posse à Prælato licitè alienari; aut commutari pro utilioribus; uti constat ex *cap. cit. 8.* Et *can. terrulas, caus. 12. q. 2.* Estque Ratio; quia Prælatus potest conditionem Ecclesiæ facere meliorem; non autem deteriorem, *cap. 2. de donat.* Similiter potest Prælatus cum causa justa, scilicet evidenti utilitate Ecclesiæ, & absque solemnitate debita Juris, terram vel villam Ecclesiæ, quæ fertilis non esset, dare in Emphyteusim hæredibus ejus, cujus studiò primùm ad culturam est redacta, *cap. ad aures 7. hoc tit.* Item potest fundum aliquem, qui antea solitus erat infeudari, aut in emphyteusim dari, infeudatione aut emphyteusi expirante; interum in feudum, aut emphyteusim dare, absque solemnitate Juris, aliàs pro alienatione ordinata à Juribus; dummodo hoc fiat antequam illius fundi fructus Ecclesiæ incorporentur; ut habet Vallens. Estque Ratio; quia tunc non censetur fieri aliqua nova alienatio, à Jure vetita; sed quædam continuatio alienationis jam factæ. Idem Prælatus potest licitè & absque solemnitate alienare ob causam res nondum Ecclesiæ quæsitas; id est nondum cæptas possideri ab Ecclesia: sic v. g. potest repudiare ac dimittere legatum aliquod, & hæreditatem Ecclesiæ relictam in testamento, si justa sit causa; puta si timeantur odia, vel scandala; uti notat Zoës. Vallens. Sylv. nisi tale legatum esset relictum simul Episcopo, & Capitulo. Idem Prælatus potest usumfructum bonorum, pro mensa sua destinatorum, ad suum beneplacitum durante suâ vitâ alteri concedere; ut notat Piasec. Et Prælati regulares Ordinis Mendicantium possunt bona suis Monasteriis incapacibus bonorum relicta, alienare; uti habet Quares. Vall. & Piasec.

5. Dico tertiò: aliquarum verò rerum immobilium, & mobilium pretiosarum alienationem Prælatus facere tenetur ex justa causa, & servata formâ debitâ, ac solemnitate præscripta à Jure. Ita communis DD. Quæ autem sint res illæ

6. Nota tertiò: ad ritè alienandas immobilium possessiones notabilis valoris, & utilium, v. g. terrarum fructiferarum, & valde utilium, aliorumque bonorum fixorum; item ad alienanda mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt; uti sunt vasa aurea, argentea, torques, gemmæ, calices, capsulæ, tapetes, & quæcunque non corrumpuntur spaciò unius triennii; Vel notabiliter non deteriorantur, requiritur justa causa, forma, & solemnitas Juris; *cap. unico 17. Extravag. hoc tit.* Et *can. sine excepti. caus. 12. q. 2.* Similiter ad permutanda, donanda, vel aliter alienanda mancipia (quæ rebus mobilibus pretiosis annumerantur) requiritur justa causa, forma, & solemnitas *cap. mancipia 3.* Et *cap. seq. de rerum permut.* Quod si tamen Rector, vel Prælatus Ecclesiæ prædium, familiam, aut aliud quidpiam suâ industriâ acquisivisset, vel attulisset, poterit mancipium, & servum ejusdem Ecclesiæ manumittere; uti habetur *cap. consuluit. 3. hoc tit.* Item aliquem servum, qui esset bene meritus de Ecclesia; ita tamen, ut talis manumissus cum suo peculio & posteritate maneat sub protectione talis Ecclesiæ; & utilitates sibi injunctas (id est operas obsequiales tempore manumissionis ipsis à Domino imsitas) prosequatur, uti dicitur *ibidem.*

## CAP. III.

### *De causis, solemnitatibus, pœnis, & revocatione alienationis rerum Ecclesiæ.*

1. NOta primò: causæ autem justa ad ritè instituendam alienatio-

nem

nem rerum immobilium, & mobilium pretiosorum sunt sequentes. *Prima* est necessitas; ut si Ecclesia valde gravaretur ære alieno, & id aliter persolvi non posset; nisi per alienationem aliquam rerum Ecclesiasticarum immobilium, vel mobilium pretiosarum; uti habetur *can. 2, § hoc jus, caus. 10. q. 2.* vel alia evidens necessitas, cui alia via subveniri non possit *cap. 1. hoc tit in 6.* Et *Clement. 1. eod. Secunda* est evidens Ecclesiæ utilitas; uti constat ex *can. sine exceptione, caus. 12. q. 2.* talis utilitas esset, si fundus aliquis, vel villa Ecclesiæ distraheretur, ut melior emeretur. *Tertia* est pietas; quando videlicet aliqua res Ecclesiæ alienanda est necessaria pro redemtione captivorum, vel ad sublevandam gravem necessitatem pauperum *can. sacrorum 15.* Et *can. sicut 16.* Et *can. aurum 70. caus. 12. q. 2.* Nam melius est, ut vasa viventium serventur, quàm metallorum, scilicet Ecclesiæ; ut dicitur *cit. cap. aurum. Quarta* est commoditas; quando nimirum aliqua res Ecclesiæ plus damni, quàm commodi affert; puta quia longè distat; vel sit exigua *can. terrulas § 3. caus. 10. q. 2.*

2. Nota secundò: forma, seu solemnitas Juris consistit in quatuor sequentibus; *Primò*, ut super re Ecclesiæ alienanda instituatur priùs tractatus à Prælato & Capitulo, an expediat eam alienare; uti habetur *can. sine exceptione § 2. caus. 12. q. 2.* Et *cap. dudum 1. hoc tit. in 6. Secundò* ut accedat consensus Capituli in alienationem, saltèm pro majori, & saniori parte; *cit. can. sinè exceptione.* Et *cap. 1. de his quæ fiunt à Prælatis* &c. *Tertiò* ut Capitulum subscribat, quando alienatio contingit mediante donatione, venditione, & permutatione; uti dicitur *cit. can. sine exceptione.* Et *cap. una 8. de his quæ fiunt à Prælat.* &c. Etsi hujic solemnitati in pluribus locis sit derogatum per veterem consvetudinem, ita ut sufficiat subscriptio solius Notarii; uti tradunt Molin. Pirh. Valens. &c. *Quartò* ut accedat Superioris authoritas & consensus, scilicet Episcopi; vel in exemptis Ecclesiis Prælati illius, qui est superior immediatus; uti constat ex *cap. 1. de his quæ fiunt* &c. Et tenet Abbas, Vallens. & Papa Paulus II. in *Extrav. ambitiosæ unic. hoc tit.* addit & quintam solemnitatem Juris, ut videlicet accedat consensus Romani Pontificis; ubi etiam statuit varias pœnas contra aliter alienantes. Putat autem Vallens. Navarr. Engel. Covarr. hanc Extravagantem non esse ubique receptam; saltèm quoad pœnas & locationem.

3. Nota tertiò: varias pœnas statutas esse à Jure contra illicitè alienantes res Ecclesiæ. *Primo* Prælatus alienans rem aliquam Ecclesiasticam absque causa justa, ponit actum irritum & nullum; etsi in alienatione tali observata fuisset forma & solemnitas Juris; uti constat ex *cap. 1. hoc tit. in 6. Et in Clement. 1. eod. tit. Secundò* Prælatus alienans etiam ex causa justa aliquam rem pretiosam, quæ servando servari poterat; sed sinè consensu Capituli, similiter nulliter agit; uti constat ex *cap. si quis 6.* junctâ Glossâ verb. *ab initio hoc tit. Tertiò* præterea quicunque alienans res Ecclesiasticas notabiles, v. g. prædium, absque causa & forma, & solemnitate Juris, ponit actum irritum, & incidit in excommunicationem; nisi celeriter alienatum restituerit; uti habetur *cap. 6. hoc tit.* Et *cap. qui res 2. hoc tit. Quartò* alienantes, qui Pontificiali vel Abbatiali dignitate prædíti sunt, propter alienationem illicitam à se factam interdicuntur ingressu Ecclesiæ: & si interdicto per sex menses perseveraverint animô indurato, suspenduntur ab administratione Ecclesiæ: inferiores autem Prælati & Rectores, ac Administratores Ecclesiarum beneficiis, quorum bona alienarunt, privantur, & beneficia eorum tanquam vacantia aliis liberè conferri possunt; uti dicitur in *Extrav. ambitiosæ, unic. hoc tit.*

4. Nota quartò: si contingat fieri aliquas alienationes prohibitas rerum Ecclesiæ, tenetur Prælatus Ecclesiæ easdem instituens celeriter revocare, & res alienatas repetere; uti colligitur ex *cap. si quis 6. hoc tit.* Idem dicendum de Capitulo, quod consentit forsitan in tales alienationes. Si autem hi revocare nollent, aut non possent

dictas alienationes, potest quilibet de Clero agere ad rei illegitimè alienatæ restitutionem, *cit. cap. si quis.* Et si Prælatus, vel Rector Ecclesiæ illegitimè alienans in revocando alienationem sit contumax, à Prælatura deponi debet; vel ab administratione, & officio; uti dicitur *can. monemus 18.* Et *can. Diaconi caus. 12. q. 2.*

5. Nota quintò: si Prælatus institueret alicujus rei Ecclesiasticæ alienationem cum debita quidem forma, & solemnitate; sed læsione Ecclesiæ enormi exinde resultante; tunc Ecclesiæ potest petere restitutionem in integrum; Uti constat ex *cap. ad nostram 11. hoc tit.* Ratio est; quia Ecclesia gaudet jure minoris. Hujusmodi autem restitutio petenda est intra quadriennium; uti dicitur in *tit. de restitut. in integr.* Nisi læsio enormis etiam post elapsos quatuor annos faciat indulgeri restitutionem, *cap. pen. hoc tit.* Et *cap. 1. de restit. in integr. in 6.* citra injuriam ejus, contra quem conceditur, cui pretium suum est salvum. Ita læsione ultra dimidium salva est rescissio ex *L. 2. C. de rescind. vend.*

## CAP. VI.

### *Quid de alienatione rerum Ecclesiasticarum, vel aliarum oblatarum in Ordine S. Francisci.*

1. Dico primò: Nulla instrumenta publica fieri possunt ab ipsis Fratribus Minoribus de Observant. & Reform. capitulariter congregatis, nec quocunque aliò modò se habentibus, in quibus alienetur & transferatur dominium alicujus Capellæ, seu sepulturæ: si tamen sese occasio obtulerit, in qua fidelium pietati satisfacere oporteat, id per modos Instituto stricto Franciscano congruentes fieri potest. Ita Lantusca, Rodriqu. Sanctor. &c. Et habetur in Constit. General. modernis *cap. 6. §. 5. n. 6.* Et est Ratio primi; quia ut habet Regula Juris 79. *Non potest quis plus Juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur*; *de Reg. Juris in 6.* Fratres autem nostri Observantes, & Reformati nihil Juris habent in Ecclesiis, vel Capellis, & sepulturis; sed Papa, *cap. Exiit de verb. signif. in 6.* adeoque nequeunt transferre dominium alicujus Capellæ.

2. Nota primò: Modos autem congruentes, sub quibus concedi potest à Fratribus Capella personæ extra Ordinem, esse sequentes; uti notat Lantusca & Sanctorus: si videlicet tali extraneæ personæ à Fratribus non conferatur formale dominium Capellæ; nec aliud quidpiam quod ad illud accedit: nec intercedat mercatus, vel venditio; nec deducatur in pactum solutio aliqua pro eadem Capella, vel sepultura: sed concedatur ipsi usus facti, fabricandi, ornandi, paramentis decorandi, ac in illa fodiendi sibi suisque sepulturam, atque in illa se suosque sepeliendi. Et poterunt Fratres eleemosynas à tali persona intuitu dictæ concessionis sic modificatæ oblatas acceptare; sicut pro Missis easdem acceptant; uti observat Sanct. An autem Syndicus Apostolicus possit nomine Sedis Apostolicæ alienare aliquam Capellam Ordinis, vel jus sepultura, disputant DD. Ordinis; affirmat Portel verb. *Capellæ Monasteriorum* citans Rodriqu. *tot. 4. addit. ad Summam* verb. *Procurator, concluf. 6.* asserens sufficere ad hujusmodi translationem consensum Papæ per suum Procuratorem constitutum, cum assensu Provintialis; non verò Guardiani. Et favet huic opinioni in parte Statutum factum pro Ultramontana Familia in Toletanis Statutis anno 1583. *cap. 3. de Observ.* ubi dicitur; *Syndicus nomine Sedis Apostolicæ possit dominium, & proprietatem alicujus Capellæ, vel sepulturæ transferre; si tamen priùs Fratres ipsi capitulariter congregati tribus distinctis diebus decreverint utilitati Conventus convenire.* Negat verò Sanctorus *de poenis cap. 7.*

3. Dico secundò: Possunt tamen memorati Fratres Minores sibi Testamento modò licitò res relictas, vel aliter oblatas, aut donatas, sive mobiles, sive immobiles sint (uti sunt domus, agri, vineæ, frumenta, & similia) per certas personas idoneas curare alienari, & distrahi, ut pecunia de rebus ipsis accepta in ædificia, vel alia Fratrum necessaria convertatur. Ita Rodriqu. Lan-

Lantusca, Sanctor. Portel, & communis DD. Ordinis. Et habetur *cap. Exiit, de verb. signif. in 6.* Et in Constitutionibus Generalibus modernis *cap. 4. §. 1. n. 2.* sic loquentibus; *cùm pro Fratrum necessitatibus omnia pro iisdem oblata vel relicta, sive denarios, aut pecunias Syndici Apostolici recipere, & pro constructione, vel reparatione domorum, pro instauratione Ecclesiarum, ac rerum ad Divinum cultum pertinentium; sive pro necessitatibus Fratrum tam ad victum, quam ad vestitum attinentibus Apostolica Authoritate* (Scilicet Nicolai III. Martini IV. Martini V. Eugenii IV. Sixti IV. &c.) *tanquam legitimi Procuratores Apostolici, juxta placitum superiorum Ordinis expendere, distrahere, commutare, & alienare possint; quæ dispensatio non est; sed modus à Summis Pontificibus inventus, pro puriori Regulæ observatione.* Et uti habent eædem Constitutiones *cit. loc. num. 5.* quod sinè dictis Syndicis, seu Procuratoribus, vel eorum substitutis nihil à Franciscanis possit emi, vendi, vel de eleemosynis disponi.

# TITULUS XIV.

## De Precariis.

### CAP. I.

*De quidditate, divisione, modis, & obligatione contractus in genere.*

1. NOta primò: Siquidem in *præcedenti tit.* egit Papa de alienatione rerum Ecclesiæ in genere: rectè *hoc*, & *pluribus subsequentibus titulis* tractare incipit de variis speciebus, quibus contingere solent alienationes Ecclesiasticarum rerum: & primò proponit speciem Precarii *hoc tit.* Ut autem plenior de contractibus singulis notitia habeatur; operæ pretium esse duxi *hoc cap. 1.* quædam præmittere de contractu in genere. Quare

2. Nota secundò: Contractum posse usurpari in lata & in stricta significatione. *In lata significatione* coincidit cum Pacto: quod definitur *L. 1. ff. de Pactis: quod sit duorum, vel plurium in idem placitum consensus;* quo sensu comprehendis omnem contractum; puta promissionem; vel donationem liberalem, in quibus non est mutua obligatio, sed solus promittens vel donans obligatur. *In stricta* verò *significatione* acceptus describitur *L. Labeo de Verbor. signif. Quid si ultrò citròque obligatio:* quæ definitio data est per effectum, scilicet per obligationem, quem Contractus strictus gignit. Unde aliter

3. Dico primò: Contractus in stricta significatione rectiùs definitur, quod *sit conventio libera plurium personarum, mutuam obligationem Justitiæ inducens in contrahentibus.* Ratio est; quia in hac definitione relucent omnia necessaria pro bona definitione. Explicatur; Ly *Conventio*, est genus, & significat idem, quod consensus, seu pactatio de re aliqua: reliqua habent rationem differentiæ: dicitur *libera*; quia Contractus, si libertate vel deliberatione careant, non subsistunt; sicut nec vota. Dicitur *plurium personarum*; quia Contractus necessariò pluralitatem respicit; utî patet ex ipso nomine, dicitur *mutuam obligationem* &c. ut Contractus hic descriptus distinguatur à pactis donationis liberalis, & promissionis, in quibus una pars tantùm obligatur; & ut ostendatur effectus Contractûs rigorosi. Ego posthac inhærendo mori Jurisperitorum RR. nomine Contractûs utar in lata significatione, ut est Synonimum cum Pacto, ut etiam comprehendam Pacta, ultro citroque non parientia obligationem; quemadmodum etiam facit *L. Contractus C. de fide Instrum.*

4. Nota tertiò circa divisionem Contractus; eum primò rectè dividi in Nominatum, & Innominatum. *Nominatus* est; qui à Juribus determinatum in specie nomen habet, talet sunt sequentes: Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, Societas, Commodatum,